

tribunali Poenitentibus, Judicium *Gwilerini* (Guilelmi Philastrii) *Card. Presb. S. Marci a Martino V. Pont.* requisiti in favorem Venditionis et Redemptionis Censuum una cum *Bulla* ejusdem Pontificis data *Rome apud Sanctos Apostolos VI. Non. Julij Pontificatus a. VIII. (1425)* qua declaratur, *quod contractus burgenses vulgariter purckrecht* (ejusmodi Obligatio videlicet Bonorum) *nuncupati sint liciti.* Directa est ad *Archiep. Gneznensem*, et *Epp. Lubicens. et Olomuc.* Petitio vero mota dicitur a Clero, Nobilibus et Incolis *ciuitatis et dioc. Vratislaviensis.* Initium: *Regimini vniuersalis ecclesie quamvis immeriti &c.* Epistola affecta ad Pontificem et Praelatos de Cleri Reformatione, Quaestio: *Utrum aqua benedicta sit ad aliquam efficaciam spiritualem ab ecclesia instituta,* demum *Rubrica,* seu succincta Tractatio de *Sacramentis.* Quin ipsis Quaestionibus ad *fol. 152.* interjectus est *Joh. Gersonii Tractatus de Contractibus,* ut *Vol. I. P. 1. col. 230.*

## CLXXVI.

U. 140 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 335. f. est *Pars III. Quaestionum in Matthaeum,* ejusdem conditionis cum jam relatis. Prima enim ejus Quaestio rursus movetur in C. I. *An congruum fuerit virginem mariam futuram christi matrem viro desponsari?* et mox altera in C. XV. *Utrum occasione religionis sint pretermittenda pietatis officia in parentes?* Finit

in Quaestione: *Utrum lex evangelica sit usque in finem seculi duratura &c.* et totus hic Adparatus inter uberrimos censendus est, qui quidem in *Matthaeum* extant. A *fol. 278.* Codex variis Notis ex omni Theologia occupatur.

## CLXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 73 Folior. 317. 4. currente calamo perscriptus est *Pars II. Expositionis Evangelii Matthaei in Viennensibus Scholis lectae,* a C. videlicet IX. usque ad finem.

II. succedit *fol. 288.* similis *Expositio Prophetiae Baruch,* cujus initium: *Diuino auxilio suffragante pro secundo meo cursu lecturus baruch secundum benignam ac paternam dispositionem Matris mee eximie facultatis scilicet theoloyce semper secunde habeo pro presenti recommendationem sacre videlicet pagine &c.* Autor nullibi proditur.

III. *fol. 313.* ipse Textus *Prophetiae* adscriptus est.

## CLXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3044 XIV. ineuntis Folior. 122. f. per duas columnas caractere crassiusculo exaratus, rubricis distinctus, et quondam *Monasterij S. Dorothee Wiennae,* cui, ut ad calcem legitur, *testatus est D. Johannes capellanus,* in folio praevio inscriptus est: *Incipiunt postille domini Alberti* (ab alio superpositum *magni*) *episcopi ymbriopolensis de ordine fratrum predicatorum.* Et alia

manu: